TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE FLUORE ALBO.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES SHORE,

VIRGINIENSIS.

Quo fugit Venus? heu! quove color decens?
Quo motus? quid habes illius, illius,
Quae ſpirabat amores? HORAT.

Prid. Id. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVII.

Patri ſuo cariſſimo

JOANNI SHORE, M. D.

Artem Apolloneam

In comitatu Hanoverienſi, apud Virginienſes,

Exercenti,

Ob amorem vere paternum,

Quo ſeſe, ab ineunte aetate, hucuſque

Semper fuerit proſecutus,

Et ob curam ſummam,

Quam in ſe elementis medicis erudiendo poſuerit;

Nec non,

Viro praeſtantiſſimo,

ISAACO HALL, M. D.

Amico ſibi in primis dilecto,

Medicinam quoque apud Virginienſes facienti,

Propter amicitiam,

Quae ſibi cum eo interceſſerit,

Et beneficia plurima,

Quae ab eo acceperit;

Hanc diſſertatiunculam

D. D. C. Q.

AUCTOR.

Dr. Duncan

fr. his obedt. Servt.

the Author

TENTAMEN MEDICUM, INAUGURALE,

DE

FLUORE ALBO.

PROOEMIO ex toto praetermiſſo, nullaque ratione, quanquam aliter facere moris communis eſt, cur hoc argumentum ex omnibus aliis ſeligendum putaverimus, reddita, ad inceptum mox veniemus, hoc ſolo ante notato, naturam fluoris albi explicatu eſſe difficilem, et cauſam ejus veram, niſi animum ad eam rite attenderimus, ſaepe inveſtigari non poſſe. Quantum ejus curationem ſpectat, ea, uti ſperamus, ſim-

 plex

plex et facilis, utpote quae theoriae, non a ratione abhorrentis, principiis innitatur, eſſe reperietur; quamvis interdum res longe aliter ſeſe habere confitendum.

Varia huic morbo apud auctores nomina olim indita fuerunt, et hodie quoque induntur. Eum catarrhum Gulielmus Ballonius appellavit; deſtillationem uteri Laelius a Fonte; fluorem, quem a quadam uteri deſtillatione proficiſci crediderit, Galenus. Leucorrhoea, vel fluor albus, Anglice *Whites*, apud medicos hodiernos nominatur. Hoc nomen autem poſtremum ſaepe perperam fuit adhibitum, et cuilibet humori ſeroſo, puriformi vel purulento, a vagina vel utero profluenti inditum.

Hiſce propoſitis, proximum eſt ut morbum finiamus. Definitionem autem Sauvageſianam, utpote quae reliquis omnibus accuratior pleniorque eſſe videatur, adhibere non dubitabimus.

DEFI-

DEFINITIO.

'Seroſo-flavae, vel puriformis materiae, 'ex utero delapſus *.'

HISTORIA MORBI.

Nullus morborum, qui in ſexum foemineum invadunt, plus moleſtiae iis faceſſit, difficiliuſve depellitur, quam fluor albus. Hunc igitur, et effectus, quos edat, horrendos, non abſque cauſa graviſſima, reformidant mulieres. Igitur noſtrum eſt earum nunquam non miſereri, et hoc malum graviſſimum ab iis propulſare pro virili conari.

Fluor albus duplex eſſe dici poteſt, qui a vagina, quique ab utero proficiſcitur. Hunc ſolum vero, cum multo ſaepius accidat, exequemur.

Quo

* Vid. Sauvag. Noſol.

Quo tempore menſes primum proveniunt, eo ſaepiſſime fluor albus ſemet oſtendit. Illos tamen hic nonnunquam praecedit. Compluria hujuſcemodi exempla memorat Hoffmannus, et puellas, ſextum ſeptimumve aetatis annum nondum tranſgreſſas, hoc morbo laboraſſe teſtatur.

Haec exempla rara et inſolita; cum vero incidunt, quod deſtillat, a vagina ſemper, judicio noſtro, proficiſcitur. Quod idem in gravidis, profluvio albido ſemet oſtendente, evenire putamus.

Huic morbo in primis patent nuptae, eae potiſſimum, quae habitu corporeo molles, laxae, leucophlegmaticae ſunt, quae difficulter pepererunt, quibus lochia vel menſes immodice profuſi, quibuſque partus ſaepe eliſi. Eo raro tentantur plenae et validae, quae menſtruis, ſingulis menſibus, rite purgari conſuerunt. Menſibus provenire pergentibus, fluor albus non raro invadit, adeo ut illi quantitate magnopere imminuantur, et ſaepe ex toto ſupprimantur. Gravitas morbi e quantitate, ſpiſſitudine, duratione, et colore

colore materiae deſtillantis judicanda. Quantitas in aliis alia eſt, in aliis copioſa, in aliis admodum modica; quod a cauſis morbum facientibus omnino pendet. Spiſſitudo ejus, quod profunditur, quoque variat; namque modo mite et viſcidum, modo tenue et ſaniem refert.

Quantum ad ſpatium, per quod morbus aegrotas exercet, attinet, nihil pro certo affirmari poteſt. Modo paucos dies, tono ſyſtematis univerſi, praeſertim uterini, non multum imminuto; modo menſes, immo annos aliquot, abſque minimo tamen incommodo, manet *. Nullum vitae tempus certum eſt, quo ſoleat decedere, quanquam plerumque rarior minuſque gravis eſt, cum menſes provenire, niſuſque haemorrhagici ſemet oſtendere ex toto ceſſarunt. In nonnullis evacuatio conſtanter pergit, et nunquam remittit; in aliis intermittit, ſtatiſque temporibus, in morem menſtruorum, redit. Quantum calorem ſpectat, certius loqui poſſumus.

* Vid. Hoffm. tom. III.

ſumus. Materia plerumque alba, morbo levi, acrimoniae expers; interdum ſeroſa vel mucoſa, foetida, ſubviridis, fuſca, cineris colorem reddens, flava; vel, inſtar aquae, in qua caro fuit lota, rubra; ſaepe adeo acris, ut partes vicinas erodat, et inflammatione afficiat, unde oriuntur cuticulae vaginae jactura, ardor urinae, tumor labiorum pudendi, ſenſus ardoris interni, reliquis inflammationis ſequelis adjunctus. Haec ſigna vero, morbo inveteraſcente, ſaepius apparent; namque notae plerumque, ſub initium, multo leviores. Quod ex utero profluit, nonnunquam, uti multi teſtantur, adeo foetet, ut mariti laborantium coitu ex toto abſtinere cogantur. Rebus ita ſeſe habentibus, multae dolores partium affectarum graves et acutos, qui gonorrhoeae virulentae propriis non abſimiles ſunt, conqueruntur. Si hoc incidit, morbus plerumque in vagina ſedet, a ſchirris, tumoribus, vel ulceribus ibi ortis, proficiſcens.

Affectus ventriculi fluori albo ſaepe adjunguntur, ut cruditas, inflatio, nauſea, &c.; et,

morbo

morbo inveterato, non rara aquae aliqua ex parte acidae vomitio. Spatium gravitaſque morbi pulſus arteriarum ex toto regunt. Parvuli et frequentes plerumque ſunt, magnam debilitatem et languorem adeſſe ſignificantes. Urina quoque mutatur. Interdum magis minuſve viſcida eſt, et nubeculas repraeſentat; interdum multum in ea ſubſidit. Cupido rei venereae ſaepe langueſcit, et alvus dureſcit. Ægrota de doloribus dorſi et lumborum, ſpiritu aliqua ex parte difficili, palpitatione cordis, et prolapſu uteri modico, praeſertim ſi multum humoris inde profluxerit, ſaepe queritur.

Cum morbus diu manſit, graviter ſaeviit, et parum nihilve remiſit; alia ſigna graviora, vel effectus morbi potius periculoſi, ſemet oſtendunt, ut anxietas ad melancholiam proclivis, ſincope, leucophlegmatia, hydrops, atrophia, donec mors tandem, aegrotae levamen unicum, quod ſuperſit, adferat. Per morbi decurſum non tantum vultus, ſed totum corpus pallet, ulcera crurum oriuntur, oculi concavi, ' ac non valde bona acie prae-

' diti

'diti ſunt;' ut Hippocrates, inquit, qui poſtea addit: 'Si acclivem locum aſcendunt, 'anhelatio corripit, crurum perfrigeratio, ge'nuum impotentia; uterus praeter rationem 'aperitur, et ad oſculum procidit gravis *.'

SEDES MORBI.

Quantum fontes, unde fluor albus oriatur, ſpectat, auctores ſaepe inter ſeſe non parum differre videntur; quanquam de ſede ejus ſpeciei, quam tractandam ſuſceperimus, inter medicos hodiernos magna ex parte convenit. Hi morbum in finibus arteriarum exhalantium, quae menſes profundunt, extremis ſedere putant †. Hoc autem melius intelligemus, ſi id prius, quod in utero ſano incidat, rite conſiderabimus, quam fluorem album exequi incipiamus.

Arteriae uterinae, ſanitate ſubſtante, antequam menſes proveniunt, aliquantum conſtringuntur,

* Vid. de morbis mul.

† Sedes hujus mali omnino eſt uterus. Hoff.

ſtringuntur, quod facit, ut tantum ſanguinis in vaſis rubris accumuletur, quantum poſtea ad niſum haemorrhagicum movendum, et ad ſanguinem rubrum exprimendum, neceſſarium erit. Quamprimum arteriae ſatis ſunt dilatatae, impetus circuitus in iis imminuitur, et oſtia exhalantium brevi rurſus clauduntur. Caeterum, ſi haec oſtia extrema, praeter conſuetudinem, laxa ſunt, et vires ſemet contrahendi vel elaterem amiſerunt, tantum aberunt, quod facile fingere poſſis, ut, niſu haemorrhagico ceſſante, ſe contrahant, ut, contra, tarde et gradatim tantum coire pergant. Hinc humorem quendam, cui nomen fluor albus fuerit inditum, effundunt. Hoc ſatis illuſtrat obſervatio ſequens, quod fluor albus ſub tempus, quo menſes profundi incipiunt et ceſſant, accedit. Si elater vel conſtrictio arteriarum exhalantium ſatis magna ſit, non prius dilatabuntur, quam ſanguis tali quantitate accumuletur, qualis conamen haemorrhagicum excitabit, et faciet ut ſanguis, qua primum data porta, effundatur. Si vero magis laxae ſunt, non-

nihil humoris ſeroſi prius effundetur, quam ſanguis prorumpat. Quod ſequitur idem probare videtur. Menſes non raro, pro ratione auctus fluoris albi imminui, et ſolitum colorem gradatim amittere, donec provenire ex toto ceſſent, videmus.

Si fluor albus ſub initium menſtruorum ſemet oſtendit, plerumque modo ſequente pergit. Humor in ſex dies ex utero effluit; non vero ſanguis per totum ſpatium; aliquid ſeroſum in dies primum et alterum, deinde ſanguis in tertium et quartum, et aliquid ſeroſum rurſus in quintum et ſextum. Quinetiam alia ad idem probandum conferunt, viz. quod fluor albus eas potiſſimum, quae profuſionibus menſium et lochiorum immodicis objiciuntur, invadit; quod, his ſuppreſſis, accedit; quod ab iiſdem cauſis proficiſcitur. Quae omnia uterum morbi ſedem eſſe demonſtrant; praeſertim cum leucorrhoea non ſolum menſtrua concomitetur, ſed, nonnullis in exemplis, per totum eorundem intervallum maneat, et, rebus ita ſe habentibus, ſanguinem rubrum, niſi ex

intervallis

intervallis brevioribus et in ſpatium brevius, effundi non ſinat.

Aliud documentum tantum ſupereſt dicendum, viz. quod fluor albus, nullis notis affectuum uteri et vaginae topicorum, qui profluvium fluoris albi proprio ſimile poſſent facere, praecedentibus, invadit. Cauſae aliae, numeroſae quidem, raro adſunt, ut affectus uteri et vaginae topici. Si notae autem horum propriae morbum non praecedunt, nempe levior graviorve uteri prolapſus, tumor, ſchirrus uteri vel ovariorum; ſigna inflammationis, quae ulcera uterina antecedunt, diverſa; vel, ſi eum nunquam ante concomitatae ſunt, a fontibus ſupra dictis haud dubie profluit.

Hoffmannus, multique alii auctores optimae notae, in hanc noſtram ſententiam ex toto conceſſerunt. Ad illum igitur eos, qui hanc noſtri argumenti partem accuratius noviſſe voluerint, relegemus oportet. ‘ Nil ita-
‘ que,’ inquit, ‘ eſt dubii, quin per eadem
‘ vaſa, vias, et poros, fluxus materiae muci-

‘ dae

'dae contingat, e quibus menſtruus ſanguis
'ipſe fertur *.'

DISCRIMINA MORBI.

Morbos a ſui ſimilibus rite ſecernere ſummi momenti eſt; namque aliter conſilia medendi principiis admodum incertis innitantur, et ſaepe aegrotantibus non ſaluti, ſed exitio, ſint oportet. Quod haud dubie quemlibet miſericordiae non expertem ſummo dolore non afficere non poteſt.

Quantum igitur fluorem album ſpectat, a gonorrhoea, unico morbo, quocum confundi periclitatur, clare et aperte ſecernatur neceſſe eſt. Diagnoſin, in morem Pitcarnii, inutilem eſſe haudquaquam putandum. 'Non 'opus eſt,' ait, 'diſtinguere inter fluorem 'muliebrem Gallicum et non Gallicum; cum 'raro, ſecus ac in viris, poſſit fluor albus tolli, 'etiamſi virulentus non ſit, niſi remediis 'lui Gallicae propriis †." Caeterum, experientia quotidiana plane teſtatur, quam falſa hujus

* Vid. tom. ſup. cit.

† Element. med. cap. 27.

hujus auctoris de natura fluoris albi opinio fuerit; namque eadem remedia utrique morbo minime conveniunt.

Hic morbus a gonorrhoea magis minuſve facile ſecernitur, prout haec magis minuſve recens eſt. Si nuper acceſſit, diſtinctio facilis et aperta; namque gonorrhoeam recentem ſemper concomitantur, genitalium phlogoſis, ut ardor urinae, inflammatio, tumor labiorum externorum et partium vicinarum, exulcerationes ſaepe leviculae; quae raro in fluore albo ſemet oſtendunt. Mulieres quoque nonnihil doloris inter coeundum habent, quo fluore albo laborantes carent. Quae leucorrhoea conflictantur, dolore lumborum magis minuſve acuto tentantur, quem gonorrhoea recente correptae fere nunquam queruntur. Contra, cum gonorrhoea in ſtillicidium perpetuum degeneravit, unum morbum ab altero diſtinguere difficilius eſt. Dignoſci tamen poſſunt; namque menſes, ſtillicidio perpetuo ſubſtante, imminuti proveniunt; contra, ſi fluor albus adeſt, ex toto ceſſant vel imminuuntur. Quinetiam, ſigna

gonorrhoeae

gonorrhoeae recentis et inflammationem habentis propria ſtillicidium conſtans; nulla vero hujuſcemodi fluorem album praecedunt. Quod profunditur, in illo admodum modicum, in hoc copioſius. Per colorem humoris excreti, qui plurimum variare ſolet, a ſe invicem diſtingui vix queunt.

Inſuper, magna debilitas, vitia ventriculi, nulla rei venereae appetentia, et aliae hoc genus notae, fluorem album adeſſe ſignificant.

Si vero duo morbi in eandem mulierem ſimul invaſerunt, quomodo eos inter ſeſe diſtinguere poſſumus? Opus quidem in primis difficile. In exemplo hujuſmodi muliercula forſitan nobis verba dare poterit. Si gonorrhoea levis eſt, et mulier fluore albo aſſueta fuit, humorem a nulla alia cauſa oriri putabit. Diagnoſis in exemplo hujuſmodi a notis ſingulorum morborum propriis deducatur oportet. Nihil amplius hic loci, quam verba Bagliviana, addam; unde eum fluorem album a gonorrhoea virulenta ſemper clare et evidenter ſecernere valuiſſe patere videtur. 'Fluor albus uterinus,' inquit, 'et

'gonorrhoea

‘ gonorrhoea Gallica adeo ſimilibus comitantur ſymptomatis, ut quiſquis medicorum fere ſemper decipiatur in illorum diagnoſi, praeſertim cum mulierculae verecundia perfuſae gonorrhoeam per impurum ſcortum contractam fluoribus uterinis mentiantur. Ne ſuccedant in poſterum haec incommoda, dabo ſignum infallibile tales morbos adinvicem diſtinguendi. Pete a muliere an, ſuperveniente menſtruo ſanguinis fluxu, perſeveret quoque eodem tempore fluor ille albae materiae; ſi dicat quod ſic, ſignificato eidem quod morbus, a quo divexatur, ſit gonorrhoea Gallica; ſi vero, durante menſtruatione, fluor albus evaneſcat, et, eadem finita, denuo regrediatur, pro certo habeas muliérem fluore uterino laborare. Caetera ſigna fallunt; hoc vero conſtans eſt, et mulierum dolum aperte deludit *.’

Multa vero huic ſigno diagnoſtico objici poſſe manifeſtum eſt; namque profuſionem fluoris albi propriam, menſibus provenientibus,

* Praxeos, lib. 2. cap. 8.

tibus, non ceſſare, ſed tantum oculorum aciem fugere, quod fluxus ſanguinis, qui ab eodem loco profunditur, eam tunc temporis videri non patitur, affirmamus. Idem in gonorrhoea incidit, quae in glandulis vaginae ſedet. Hoc in morbo ſanguis menſtruus viro venereo adeo admiſcetur, ut ille ab hoc nequeat ſecerni. Igitur ratione morbum dignoſcendi Bagliviana non ex toto, ſed, contra, iis quae a muliercula ipſa accipimus, multo magis confidamus oportet. Utrum cauſae ſuſpicionis ullae necne ſint, qualis ſui morbi natura ſit, ea ſola poteſt indicare.

Hunc morbum quoque ab ulceribus uteri, a cauſis diverſis, ut partu difficiliore, placentae lacerationibus, &c. oriundis, diſtinguere conſuerunt medici: Hoc vero facillimum eſſe putamus, ſi animum modo ad ſigna ſuppurationem, cum antecedentia tum ſubſequentia, ad quantitatem profuſam, quae in morbis hujuſmodi raro aeque copioſa ac in fluore albo, et ad ſpiſſitudinem doteſque humoris profluentis, attendamus.

Quin-

Quinetiam ulcera varia, quae in utero oriuntur, inter ſeſe diſtinguere conati ſunt, nomina ſingulis indentes, alia ſchirroſa, alia fungoſa, alia canceroſa, appellantes. Caeterum, omnes ulcerum ſpecies enarrare, limites diſſertatiunculae hujuſmodi longe excederet, et forſitan, ad extremum, parum utile foret. Ad cauſam igitur hujus morbi proximam conſiderandam tranſibimus.

CAUSA PROXIMA.

Haec autem eſt laxitas vaſorum uteri extremorum, et ramulorum exhalantium potiſſimum, qui, menſtruis ſubſtantibus, ſanguinem in cavum uterinum effundunt.

Haec autem intellecta, omnia morbi ſigna, quorum praecipua ſupra comprehenſa ſint, explicabit, et exempla diverſa, quae aliqua ex parte a cauſis, quae menorrhagiam movere putentur, oriri poſſunt, ſed ab iis praecipue, quae ſyſtema uterinum aliqua vi affecerunt, et exhalantes arterias laxas et flaccidas dimiſerunt, pendent, plurimum il-

luſtrabit. Fluor albus igitur, nempe is qui a laxitate proficiſcitur, abſque ſanguinea ſyſtematis plenitudine repetere poteſt, et revera redit. Haec tamen nonnunquam cauſa remota eſt, ut hinc patet, quod menorrhagiam excitat. Caeterum, in exemplis omnibus, in quibus morbus a laxitate uteri per graviditatem, partus difficiles, abortum, &c. facta, proficiſcitur, hi morbi pro cauſis remotis habendi.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hae ſunt omnia, quae impetum humorum ad uterum fecerunt, et igitur tonum arteriarum extremarum laeſerunt. In duas claſſes dividi poſſunt: 1. Eas, quae corpus univerſum, et, 2. Eas, quae uterum potiſſimum relaxant.

Illis acceniſeri poteſt aër frigidus et humidus, qui non tantum corpus humiditate relaxat, ſed diſtenſionem vaſorum, perſpirationem minuendo, auget; adeo ut curſus humorum inſolitus ad alia ſecernentia fiat.

De

De hoc ambigi nequit, cum fluor albus in regionibus frigidis et humidis magnopere invaleſcat. Hunc apud Belgas longe lateque graſſari, omnes compertum habent. Nec alia ratio reddi poteſt, quam quod aërius mador, uſuſque hypocauſtorum conſtans, ad excretiones uterinas augendas conferunt. Hic morbus autumno frequenter invadit, immo ſaepius quam quolibet alio tempore, quod coelum, quantum frigus caloremque ſpectat, admodum varium et mutabile. Suppreſſio cujuſlibet ſecretionis ſolitae, ut lactis in mammis, vel muci in naribus, ut Hoffmannus teſtatur, impetum humorum ad uterum facere poteſt. ‘ Eae mulieres,’ inquit, ‘ quibus per nares mucoſae diſtilla-‘ tiones frequentiores fuerunt, ſi ſupprimun-‘ tur, facta metaſtaſi ad uterum, humoris al-‘ bi ex utero emanationi valde ſunt ob-‘ noxiae *.’

Cibus tenuis et aquoſus, is qui glutinoſus coctuque difficilis, legumina, dulcia, farinacea,

* Vid. Hoff. tom. 3.

cea, piſces, oſtrea, conchae cum acidis, quae chylum crudum et glutinoſum progenerant, qui ad corpus, ut omnes noverunt, alendum parum idoneus eſt, ad hunc morbum movendum conferunt, vimque ejus augent. Idem praeſtant, potio calida, relaxantia, ut thea et coffea, liquores ſpirituoſi, et ſimilia; pediluvium, balneum calidum; quidam animi affectus, ut amor, anxietas, melancholia, &c.; morbi antecedentes, ut chloroſis et hyſteria. Quibus omnibus adjici poſſunt, omnia quae ſyſtema relaxant et debilitant, ut iners, deſidioſa, et ſedentaria vita, ſomnus nimius. Haec morbum potenter excitare ex hoc evidentiſſime patet, quod morbus mulierculas rure viventes, quae exercitatione multa quotidiana inſueverint, rariſſime occupat. Quomodo hae cauſae debilitatem creent, exponere ſupervacaneum ducimus; ſufficit, ſi eas potentius ſub haec tempora, quibus menſes ſoleant provenire, impetus humorum ad uterum fiat, et circuitus ſanguinis ibi rapidior et violentior reddatur, agere dicamus. Igitur proximum eſt, ut eas cauſas, quae uterum potiſſi-

potiſſimum relaxant, enumerandas ſuſcipiamus.

In his autem ſunt, immodicae menſium lochiorumque profuſiones. Haemorrhagiae uterinae, certis temporibus, ſaepe proſunt et ſaluti ſunt; ſi vero nimiae ſint, atoniam gignunt, et vaſa uteri eo elatere et contractilitate, quae ad profuſionem ſanguinis ſiſtendam poſtea neceſſaria ſunt, privant. 'Simili ratione,' inquit Hoffmannus, 'a nobis 'obſervatum eſt, quod eae foeminae, quae 'immodicae menſium fluxioni ſaepius ob'noxiae ſunt, et quae molas per abortum 'excernunt, eodem fluxu frequentius labo'rant.'

Venus nimia, multis in exemplis, cauſa praecipua eſt, quamvis univerſam eſſe haudquaquam contendimus; namque virgines hoc morbo ſaepe laborant. In his igitur, eum ab alia cauſa ſine dubio proficiſci putandum. Omnes coitum, praeſertim immodicum, ſtimulo potenti eſſe concedunt. Irritatio autem ab hoc oriunda, cum utero communicata, impetum humorum ad eum

auctum

auctum faciet, unde vaſa ei praeter conſuetudinem diſtendentur. Haec cauſa ſub tempus, quo menſes ſoleant provenire, ob rationem evidentem, cujus hic loci meminiſſe non neceſſarium ducimus, potentius agere notatur. Abortus quoque et partus difficiles eodem fere modo, quo profuſio menſium immodica, fluorem album faciunt.

Quinetiam alia, apud auctores pleroſque, cauſa eſt menſium obſtructio, quae a conſtrictione oſtiorum vaſorum uteri pendet, quae rurſus ab alia, cujus non noſtrum eſt in praeſentia mentionem facere, oritur. Haec conſtrictio quidem liberam menſtruorum profuſionem impedit; hoc vero eandem effuſioni cujuſlibet humoris obſiſtere poſſe, haudquaquam demonſtrat. Si humores ejuſdem ſimiliſve ſpiſſitudinis eſſent, quae arteriarum oſtiola unum, alterum quoque, elabi ſinerent. Serum e finibus arteriarum diametri multo minoris, quam ſanguis ruber, cujus particularum moles et magnitudo multo majores, effundi poteſt. A principiis hujuſcemodi rationem deducimus, cur ſerum,

non

non ſanguis ruber, profundatur. Ex ſupra dictis igitur patet, obſtructos menſes fluorem album facere poſſe.

Pathologia hujus morbi, quae quidem parum abſoluta et explicatu difficilis, ad finem perducta, ad prognoſin tranſibimus.

JUDICIUM EVENTUS.

Quidam, et non abſque cauſa, uti videtur, affirmant, fluorem album per ſe non ſaepe lethalem eſſe. Multa alia tamen vitia facit et excitat, quae non raro medicinae aegerrime parent, et, ad extremum, admodum periculoſa evadunt. Antequam finem hujus morbi praeſagiamus, ſequentia conſideranda :

1. Duratio morbi.

2. Gravitas ſignorum.

3. Quantitas, ſpiſſitudo, ſpatium, colorque humoris effuſi.

4. Valetudo aegrotantis prior, et aetas.

5. Conditio menſtruorum.

Quantum

Quantum morbi durationem ſpectat, neminem fugere poteſt, morbum, quo diutius manſerit, eo difficiliorem ſublatu fore. Namque longitudo morbi gravitatem omnium ſignorum, debilitatis potiſſimum, non tantum uteri, ſed ſyſtematis univerſi, auget; quod curationem ſemper multo tardiorem, et morbum aliquando ex toto inſanabilem, reddit. 'Tarditate ſua,' inquit Hoffm. 'ſexui delicatiori et munditiei dedito valde 'eſt incommodus et taediofus, eo quod 'colorem faciei roſeum cum tempore inde 'amittunt, nonnullae valde inde triſtantur et 'melancholicae fiunt, quia maritis et ſponſis exoſae evadunt.' Quantum affectus animi non tantum ad morbos movendos, ſed etiam ad eoſdem longos reddendos, conferant, omnes compertum habent. 'Uterus,' inquit Helmontius, 'nullum ſibi, 'praeter animi pathemata, hoſtem novit.' Igitur affectionibus hujuſmodi haudquaquam indulgendum. Si fluxus uterinus inveteraverit, hydropes, febris lenta, prolapſus uteri, et alia quae debilitatem nimiam adeſſe ſignificent,

nificent, ſemet oſtendunt. Contra, ſi morbus non diu manſerit, ſi ſigna minus gravia ſint, et debilitas non magna, curatio minus difficilis erit citiuſque abſolvetur.

Quantum ad ſignorum gravitatem attinet, aegrotam brevi reſtitutum iri ſpondent, pallor faciei gradatim evaneſcens, tumores extremorum hydropici imminuti; vitia ventriculi, dolores lumborum, et palpitatio cordis, leviora; ſpiritus expeditus, et pulſus arteriarum validiores, duriores, et pleniores evadentes.

Inſuper, quantitas, ſpiſſitudo, &c. humoris effuſi, pro conditione ſua bona pravave, ſalutem aegrotantibus promittunt, exitiumve intentant; profuſio humoris parca, mitis, viſcida, parum diuturna, albida, non acris, bona eſt; mala, contra, plerumque eſt copioſa, tenuis, ſaniem reddens, flava, ſubviridis, foetida, admodum acris, quae ulcera in utero oritura, vel jam orta eſſe, ſignificat. Praeterea, profluvium nimium conceptioni inimiciſſimum eſt; quod omnes fere novegunt, quodque ſcriptores antiquiſſimi, prae-

ſertim Hippocrates *, poſteris prodendum curarunt. Si vero muliercula, hoc morbo conflictans, concipiat, abortu ſemper de cauſa leviſſima periclitatur; namque Pater medicinae celebris, in aphoriſmo ſequente, affirmat, 'Si mulieri in utero gerenti purgationes prodeant, foetum ſanum eſſe impoſſibile.' Quinetiam Hoffmannus, ſuper hac re, modo ſequente loquitur: 'Laxato nimium uteri tono, conceptus non ſatis firmas radices agere poteſt, ſed aſſidua illuvie corrumpitur et foras ejicitur †.'

Animum ad valetudinem aegrotantis priorem, et aetatem quoque attendendum. Profluvium plerumque facilius tollitur, minuſque periculi in junioribus habet, quae profuſionibus uterinis quibuſlibet non multum objectae fuerunt, quibus valetudo ſemper commoda fuit, quibus corpus nunquam infirmum fuit, quibuſque vita non ignava et deſidioſa. Contra, ſi aegrota ad ſenium

vergat,

* Quae praehumidos uteros habent, non concipiunt; extinguitur enim in ipſis genitura; L. v. Ap. 60.

† Tom. iii.

vergat, ſi corpus debile, gracile, tenellum habeat, ſi profluviis uterinis ante vexata fuerit, ſalus non aeque facilis erit.

Ratio denique conditionis menſtruorum habenda. Super hac re tamen pauca tantum verba facienda ſuperſunt; namque praeſagia a menſibus rite provenientibus, vel abnormibus, deducenda eſſe manifeſtum. Si rite proveniant, i. e. ſi ſtatis temporibus ſemet ſemper oſtenderint, et modici fuerint, ſanitatem, ſaltem quod non admodum malum, aegrotis promittunt. Sin abnormes ſint, cauſa metus, nec ulla valetudinis commodae fiducia eſſe debet.

CURATIO.

Conſilia autem hunc morbum depellendi duo ſunt.

1. Impetum humorum ad uterum factum tollere.

2. Tonum ſyſtemati univerſo, et utero potiſſimum, reddere.

Con-

Conſilio priori reſpondet cauſas remotas, et praeſertim eas quae curſum humorum ad uterum faciunt, ſi fieri poſſit, vitare. Eidem quoque aliqua ex parte accommodantur cathartica leniora. Namque, ſi quamlibet ſecretionem imminuere velis, aliam alibi, quod omnes, qui in ſtudium medicinae incubuerunt, compertum habent, augeas oportet. Cum autem humores hoc in morbo juſto tenuiores ſint, eos per inteſtina foras expellere tum facillimum tum utiliſſimum. Jalappium huic conſilio in primis accommodari multi putant, quod nonnihil inter humores in fluore albo et hydrope ſimilitudinis intereſt, quodque hoc medicamentum in morbo poſteriore ſummo cum commodo adhiberi ſolet. Huic autem cathartica leniora longe praeſtare opinamur, quod mulieres, quae fluore albo diu laborarunt, purgationes alvi copioſas et reiteratas ferre nequeunt. Igitur purgantia draſtica, quae vires ſyſtemati magnopere convellant, ſemper aliena. In ſumma, rhabarbarum caeteris anteponendum ducimus, quod amaram et aſtringentem do-

tes habet, quae in auxilium hujus morbi promptiſſimae eſſe videntur. Ventriculo debili et irritabili, tinctura; firmo, ſubſtantia, adhibenda.

Mercurium hoc in morbo laudibus extulerunt nonnulli auctores; materia acri et foetida, morbo inveterato. Caſum Manningius memoriae prodidit, ubi hoc medicamentum, ſub initium mali et ſummo cum fructu, adhibuit *. Haec autem via medendi non diu in uſu fuit, nec ſaepe tentata, adeo ut pauci in eam adhuc procedere auſi ſint.

Emetica quoque utilia ſunt; namque non tantum ſecretiones diverſas, cutaneam potiſſimum, augent, ſed vitia ventriculi, quae ſummam moleſtiam aegrotantibus hoc in morbo ſaepe faceſſunt, tollendo proſunt. Ipecacuanha albumque vitriolum fuerunt adhibita; ſed antimonium, et ex eo praeparata, illis anteponenda videntur, quod ſecretionem cutaneam magis copioſam reddunt, et vitiis

ventriculi

* Vid. Diſ. of Women, p. 185.

ventriculi efficacius occurrunt. Quod praeparatum in uſu communi fuit, et conſilio quam optime reſpondet, id eſt tartarus emeticus, particulis nauſeam tantum moventibus datus.

Quanquam humores ſeroſi per inteſtina citiſſime evacuantur; per vias urinarias tamen, quoque et ſpiracula cutis, e corpore expelli poſſunt. Medicamenta vero diuretica, in curatione fluoris albi, ut parum utilia, repudiata ſunt, non abſque ratione quidem gravi; namque periculum eſt, ne vaſa uteri ſtimulent, et igitur non tantum fluxum urinae, ſed evacuationem quoque morbidam, adaugeant. Idcirco non diuretica adhiberemus, ſed diaphoretica in locum eorum ſufficeremus. Caute tamen dentur. Diu ſumpta morbum, debilitate augenda, pejorem reddunt.

In diaphoreticis ſunt, guiacum, ſarſaparilla, ſaſſafras; quorum decocta magno cum commodo potari ſolent. Antimonium quoque, quod diaphoreticis merito accenſetur, et aqua calcis, quae, nonnullorum judicio,

iiſdem

iiſdem annumerari debet, aegrotantibus levamen ſaepe adferunt.

Si morbum fecerint menſes ſuppreſſi, vel injuria externa, ſanguinis miſſio, utpote quae diſtenſionem vaſorum uteri tollat, ſub initium convenit. Caeterum, ſi morbus ab alia cauſa proficiſcatur, nullaeque plenitudinis notae ſe oſtendant, ea caute abſtineatur.

Evacuationes ab arte petitae, ut fonticuli, ab auctoribus multum laudantur; cum vero non multum humoris effundant, renovationem humoris ſeroſi potius impedire, quam eundem magna quantitate collectum foras expellere, videntur. Signa tamen haud dubie levant diu adhibitae. Haec ſunt praecipua remediorum quae conſilio priori accommodari putamus.

Quae conſilio poſteriori reſpondent, ea ſunt aſtringentia. Horum autem praecipuum eſt cortex Peruvianus. Modum ejus agendi ſilentio praetermittemus, eum ſcriptoribus, qui materiam medicam exequantur, exponendum relinquentes. Sufficit, ſi adhibitum ſaluti eſſe ſciamus; quod a dotibus

ejus,

ejus, aſtringente, amara, et aromatica, pendere plerumque putatur. Cum ad eum fuit decurſum, appetentia cibi repetit, motus inteſtinorum periſtalticus regularis evadit, pulſus arteriarum priſtinas vires et plenitudinem ſibi gradatim recuperant, notae debilitatis evaneſcere incipiunt. Quantum rationem cum daudi ſpectat, ſubſtantia cuilibet alio praeparato praeſtat; tincturam verum melius ferunt ventriculi debiles. Celeberrimus Gregorius, qui nuper omnibus profeſſoris excellentiſſimi officiis apud academiam Edinenſem ſumma cum laude functus eſt, optimis virorum medicorumque jure annumerandus, unciam corticis tribus vini rubri, *claret* vulgo dicti, libris admiſcere ſolitus eſt *.

His chalybeata, praeſertim ſi morbus a menſibus ſuppreſſis fuerat profectus, nonnunquam adjicienda curavit.

Regnum foſſile quoque nonnulla aſtringentia nobis ſuppeditat. In his alumen eſt. Hoc vim aſtringentem potentiſſimam habe-

re,

* Vid. praelect. ejus an. 1770.

re, in fluore albo utiliſſimum eſſe omnes fere quaſi uno ore fatentur. In pulverem redactum, et parvulae ſanguinis draconis quantitati, ſimilibuſve, admiſtum, optime datur.

Aliquot e metallis praeparata laudibus in coelum efferuntur; chalybeata vero optima et tutiſſima eſſe videntur. Cuprum et plumbum noxae eſſe, et vomitiones, dolores, ſpaſmos, et inflammationes inteſtinorum movere poſſunt. Limaturae chalybis adhiberi poſſunt; his vero, cum actionem ejus praeſentiſſimam eſſe volumus, praeſtat rubigo vel ſal. Omnes aquae minerales idem praeſtare videntur, ut Spaae Germanicae, Bathoniae, terrae Eboracenſis propriae, &c.

Abſorbentia adverſus fluorem album non parum efficacia fore, quidam opinantur, multum acoris in ventriculo ſubeſſe exiſtimantes. Opinione hujuſmodi haud dubie inductus, quidam medicus Lugdunenſis celebris ad oculos cancrorum, non abſque fructu, nuper confugit. Semunciam ſingulis diebus dare non dubitat, et in ea fluoris albi ſpecie, in

qua profluvium adeo acre eſt, ut partes erodat, potiſſimum prodeſſe notat *.

Ratio victus nunquam non habeatur; namque alioquin remedia potentiſſima in morbum nihil poterunt. Modus edendi et bibendi adhibendus; exempla enim non deſunt mulierum, quae eo ſolo, abſque ope medicamentorum, ſanatae ſunt. Quantitas cibi non tantum minuenda, ſed delectus quoque ejus habendus. Parcus ſit; etenim vaſa uterina tonum ſibi rurſus adipiſci nequeunt, dum uſu diaetae nimis plenae diſtenduntur. Siccus, ſolidus, nutriens, coctuque facilis ſit; ut omnia carnis tenerae genera, quae aſſa potius, quam elixa, eſſe debent. Vitentur piſces omnigeni, pleraque olerum, acida, caſeus, et oleoſa. Potio optima eſt aqua calcis, vel aqua fontana, cui paulum vini rubri nonnunquam adjici poteſt. Pauci hujus cyathi per ſe nonnunquam ſumantur. Omnes liquores fortiores calidi, qui ad ventriculum relaxandum conferant, caveri

* Vid. com. med. edit. Edin. vol. 1.

caveri debent : Nec non, ob eandem cauſam, infuſorum e thea et coffea uſus. Manningius ſe morbum diaeta lactea ſola, ſtricte adhibita, poſtquam medicamenta quamplurima incaſſum fuerant tentata, in mulieribus habitu corporeo tenuioribus, et in quibus a debilitate univerſa fuerat profectus, tolli ſe aliquoties noviſſe refert.

Balneum frigidum, ſi modo prudenter et caute adhibeatur, ut remedium, in omnibus morbis a laxitate vel debilitate pendentibus, praecipuum, ab auctoribus fuit laudatum. Solida firmat, concoctionem accelerat, vires toti ſyſtemati ſufficit, pulſus arteriarum validos plenoſque reddit ; poſtquam ad id decurſum aegrota brevi ſe roborari ſentit, magis vegeta gradatim evadit, calor floridus faciei redire incipit.

Si haec, ſaltemve eorum aliqua, non cito, poſt balneum frigidum adhibitum, incidant ; ſed aegrota, contra, ſe magis magiſque debilitari ſentiat, ſi animo linquatur, ſique pulſus arteriarum concidant, eo protinus abſtineatur. Igitur quo haec mala praecaveantur

tur ſumma cura adhibenda. Prius pedes, deinde corpus univerſum in aquam demittatur. Agendum quoque, ut corpus non ante exercitatione immodica calefiat. Ventriculus vacuus ſit; aegrota non diu in balneo maneat, ſed eo potius frequenter utatur. Si animum ad haec attendamus, haud dubie ſaluti erit.

Aliud remedium, quod ſyſtema inſigniter roborat, dicendum adhuc ſupereſt, viz. Exercitatio.

Haec modica et rite delecta effectus inſignes edit. Caeterum, quae hujus generа membra nimis movent, ea, pro violentia et duratione, circuitum ſanguinis augendo, et curſum ejuſdem ad certas partes faciendo, ſemper nocent. Tali modo tamque modice adhibeatur, ut citra defatigationem ſit. Non ad eam protinus a cibo confugiatur, dum ventriculus multum diſtenditur, nec horis veſpertinis, ne frigus humorque aëris corpori noceant; ſed potius mane vel meridie, quo tempore plus fiduciae in ſalubritate aëris poteſt collocari. Sub initium leviſſima

ſit,

ſit. Ægrotans pauca millia paſſuum tantum rheda, vel quolibet alio curru quam minime ſubſultante, vehat. Deinde artus modice ambulando, vel, quod praeſtat, equitando, exerceat, et tandem ad exercitationem, prout ſemet magis minuſve refici ſentit, vehementiorem tranſeat.

Tonum utero reddunt, uſus potiſſimum injectionum, balneum frigidum, fumigationes, et re venerea ex toto abſtinere. Cum libidini indulgere huic curationis parti omnino contrarium ſit, coitum diligentiſſime fugiant omnes aegrotae nuptae monendum. Venus cauſis fluoris albi potentioribus accenſetur, et nullum morbum, qualibet e cauſis ejus agere pergente, tolli poſſe ratio docet. Vis balnei frigidi tonica jam expoſita eſt. Injectiones, aliaeque applicationes loco propriae, noſtro judicio, nimis ſemper neglectui habitae fuerunt. Hoffmannus, ſuper his verba faciens, tantopere fuiſſe neglectas, praeſertim cum eas tanti fecerit Hippocrates, admirari videtur. 'Ita mirum videtur,' ait,

'noſtro

'noſtro tempore eorum uſum in praxi me-
'dica penitus evanuiſſe; cum tamen in cer-
'tis caſibus, et maxime, ubi ſubſtantia uteri
'laeſa eſt, non ſine inſigni fructu eadem
'uſurpari experientia doceat.'

Mulieres quidem magna modeſtia eas aversabuntur; caeterum utilitas earum tanta eſt, quanta pudorem vincere debet. Fluore albo inveterato, cum acrimonia admodum magna eſt, et cauſa non deeſt, cur ulcera in vagina, vel cavo uteri orta eſſe ſuſpicemur, quam plurimum prodeſſe conſueverunt. Hoc quoque ad eas decurramus ſuadet, quod in ſtillicidia urethrae multum poſſe compertae ſunt. Niſi caute adhibeantur, aliquantum inflammationis movebunt, et ita, quod profluit, copioſius reddent. Unde conficiantur, quantumque immittatur, rite conſiderandum. Parvis quantitatibus, unam duaſve uncias non excedentibus, adhibeantur, et ſaepe reiterentur. Nihil ſalinum aut acre illis inſit. Mites ſint, vimque aſtringentem habeant.

Conſilio

Conſilio reſpondet aqua aluminoſa, ſatis diluta, et aliquanto mellis roſarum admiſta. Cum ulcera partes infeſtant, mel roſarum per ſe, vel paululo aquae calcis, vel aquae vitriolicae camphoratae, ſimiliumve adjunctum, immitti poteſt.

Injectiones rite forſitan excipiunt fumigationes, quae e vaporibus myrrhae, maſtiches, olibani, aliorumque gummi, prunis vel batillo ſuperimpoſitorum poſſunt componi, et vaginae applicari. Saepe repetantur; nam inſigniter ſaepe proſunt. In fluore inveteraſcente, ſub finem, curationem abſolvendi conſilio adhibeantur ſuadet Hoffmannus. Inſuper hortatur, ut decocta herbarum diverſarum, majoranae, thymi, meliſſae, abrotani, origani, roriſmarini, hyſopi, florum chamomaeli, &c. regioni uterinae aegrotantis in balneo ſedentis; ut eaedem herbae ex vino rubro decoctae inguinibus, cubitum iturae, totam per noctem admoveantur. Caeterum, haec remedia non adeo diu fuerunt adhibita, ut effectus eorum plene

ne poſſimus depingere. Nonnulla e balſamis naturalibus, ut terebinthinam, balſamum copaibae, &c. adhibere moris fuit communis. Quo vero conſilio ad ea fuerit decurſum, non manifeſtum eſt. Vim aſtringentem habere improbabile. Curſum humorum haud dubie ad vias urinarias faciunt, et, ob hanc rationem, forſitan, data ſunt. Immodicus horum balſamorum uſus, praeſertim copaibae, cervicem veſicae aliquando non parum irritat, et igitur urinam magna ex parte ſupprimit. Nec aliud quidem haec medicamenta, quam inflammationem leviculam movent, quae in uterum vicinum poteſt diffundi. Eodem conſilio haud dubie ad aliud medicamentum, viz. cantharides, medici confugerunt. Actio ejus non alio modo, quam ſupra comprehenſo, exponi poteſt; namque impetum ſanguinis quoque ad cervicem veſicae urinariae facit, levemque inflammationem excitat, quae tonum vaſis uteri extremis, aliqua ex parte, reddere poteſt.

Antequam hoc opuſculum ad finem perducam, grates omnibus academiae Edinenſis Profeſſoribus, quorum fama totum terrarum orbem jam pervagata eſt, ob plurima et utiliſſima medica, quibus me imbuendum curarunt, merito ſunt perſolvendae. Quinetiam Andreae Wood, chirurgo Edinenſi celebri, ob ſummam benevolentiam adverſus me conſtanter adhibitam, gratiae quam maximae habendae.

F I N I S.